

PRÆFATIO.

JAM dudum, et antiqui Codicis exemplarium penuria, et Chymicarum rerum incrementum, et indè nata lingue novae necessitas, auctaque medicamentorum potentiorum suppellex, novam requirebant medicamentarii Codicis editionem, refertam quidem minori compositionum turbâ, simplicium autem confectione emendatiorem et auctiorem.

Ad hoc opus, jubente non semel summo rerum internarum regni administro, ut sese accingeret Medicinæ Facultas Parisiensis, elegit, quibus Codicis hujus conficiendi curam committeret, Professores *Le Roux* decanum, *Deyeux*, *de Jussieu*, *Vauquelin*, *Richard*, *Percy*, *Halle*; et Scholæ Pharmacopœorum Parisiensis operam quoque invocavit, à quâ lecti fuerunt Scholæ ipsius Professores *Henry*, *Vallée*, *Bouillon-Lagrange*. Labori dum incumberent omnes, medio in opere, fato miserè cessit unus è Pharmacopœis *D. Vallée*, in cuius locum suffectus est *D. Cheradame* ejusdem Scholæ antiquior socius et questor.

Symbolam ad opus perficiendum unusquisque contulit suam, non consilio tantum in concessibus, sed et proprio quisque labore propriâque experientiâ.

Primas operis lineas jàm adumbraverat *D. Deyeux*; inceptique hujus capita et sectiones primo omnium simul examini subjiciebantur bis in hebdomade.

Experimenta deinde non pauca, ad Pharmaceuticen, ad Medicamentorum naturam melius perspiciendam, et ad

Methodum quā singula consociari in formulis præscribique possunt, utilia peregerunt DD. *Henry*, *Vauquelin*, *Vallée* et alii. Quæcumque experimenta attulimus, nullo autoris addito nomine, à D. *Henry* peracta sunt.

Materiæ Medice catalogum suscepérunt DD. de *Jussieu*, *Richard*, *Vauquelin*, *Henry*.

Alii plurimi Medicos inter Pharmacopœosque Parisienses viri, operi quoque benè consuluerunt; quos inter DD. *Boudet*, *Guilbert*, *Duchâtel*, *Baruel* nominare æquitatis est. Plurima hausimus ex collectaneis quibus titulus est *Bulletin de Pharmacie*, ac nuperrimè *Journal de Pharmacie et des Sciences accessoires*, inter omnia quæ in hunc censum referri debent, nulli certè postponendum opus. Multa ex scriptis, programmatibus, dictisque D. *Chaussier* optima mutuavimus, cuius societate atque operâ, ignotum quo fato, carere debuimus. Non pauca etiam utilia ex scriptis *Baumé*, *Parmentier*, *Planche*, *Boulay*, *Robiquet*, *Cadet*, *Pelletier*, *Virey*, *Swediaur* et aliorum excerptimus; plura præterea ex Pharmacopœis exteris recentioribus, præcipue *Suecā*, *Berolinensi*, *Batavā*, *Petropolitanā*, *Londinensi*, *Edinensi*, speciatimque ex D. *Niemann* ad Pharmacopœam Batavam *additamentis*, quorum ope fruimur quodam veluti Pharmacopœæ universalis specimine, quod quibusdam certè mendis non caret, sed plurimis refertum est utilibus, non quoàd copiam tantùm, sed etiam quod Medicamentorum analysim spectat, judiciumque sæpè non parvi faciendum doctissimi viri.

Ordinis demùm totius latinitatisque cura commissa est D. *Hallé*, cui sociam contulere operam de *Jussieu*, *Richard* et alii.

Singulorum et omnium opus, ut conficiebatur, in concessibus perlectum, perpensum et emendatum, typis demum committendum jussit summus rerum internarum regni administer, voluitque, Rege optimo annuente, titulum operi inscribi: **CODEX MEDICAMENTARIUS SIVE PHARMACOPOEA GALLICA** (*). Typorum curandorum provinciam demandavit idem D. HACQUART, Parisiensi Typographo; utque exemplaria typis primum cedebant, novo rursus erant examini subjecta; novisque uti demum absoluta videbantur emendationibus, prelo mandabantur.

Principius Codicis hujus finis cum sit, ut eadem ab omnibus methodo confecta medicamina, ubique et semper similia habeantur, et sibi perpetuo constent; ordo in eo exarando necessario desumptus est ab ipsis Pharmaceuticis operibus. Adeoque in Sectiones decem partitum est opus; quarum hi sunt tituli:

1º. PRÆPARATIONES MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM ET CAU-
TELÆ PHARMACEUTICÆ; cujus sectionis capita sunt:

*Delectus, Exsiccatio, Asservatio et Renovatio, Pur-
gatio et Mundatio, Dispositio et Aptatio, in Pulverem
Resolutio.*

2º. MATERIÆ È SIMPLICIBUS INTEGRIS, ELEMENTIS PARÙM
IMMUTATIS DEPROMPTÆ; talia sunt:

*Succi expressi, Fæculæ, Olea expressa, Pulpæ, Serum
Lactis.*

3º. MATERIÆ IN SIMPLICIBUS FERMENTANDO EVOLUTÆ;
Unico impletur capite, unicoque exemplo *Vino ex Hydro-
melite.*

(*) Bulletin des Lois, 1816, 106, Ordonnance, n° 1003.

4°. MATERIÆ EX SIMPLICIBUS DESTILLANDO ELICITE; huc referuntur

Aquæ stillatitiæ, Olea volatilia odorata, Alcool et Alcoolata, Sales et Olea volatilia pyrogenæa.

5°. SOLUTIONES MEDICAMENTORUM VARIIS LIQUIDIS PARATE; inter quæ numerantur quæcumque solvuntur

Aquæ, Vino et Cerevisiæ, Aceto, Oleis, Alcoole, Æthere, variis liquidis cum Saccharo aut Melle.

6°. MATERIÆ È SOLUTIONIBUS INSPISSANDO EXTRACTÆ; hoc sub titulo habentur

Mucaginiæ, Gelatinæ, Extracta, Resinæ.

7°. MEDICAMENTA PER ANALYSIM CHYMICAM È CORPORIBUS ELICITA; qualia sunt

Acida, Alkalia et Subcarbonates Alkalini, Metalla et Oxida Metallica, Sulfur, Phosphorus, Carbones.

8°. MEDICAMENTA PER SYNTHESIM EX UNITIS PER CHYMICAS AFFINITATES ELEMENTIS COMPOSITA; hic exponuntur operationes quibus conficiuntur

Ætheres, Acida Alcoolisata, Sales, Sulfureta, Sapones, Aquæ Minerales arte factæ.

9°. MEDICAMENTA EX MIXTIS TANTUM SIMPLICIBUS AD USUM PRÆCIPUÈ INTERNUM CONFLATA; talia sunt

Species, Pulveres compositi, Massæ moliores, Conservæ, Tabellæ, Electuaria et Opiatæ, Pilulæ et Boli.

10°. MEDICAMENTA MISTIONE AUT FORMA AD USUM EXTERNUM PRÆCIPUÈ DESTINATA; in hunc numerum recensentur.

Cataplasma, Fomenta, Collyria, Linimenta, Cerata, Adipes medicati, Unguenta Oleoso-Resinosa, Unguenta

solida et Emplastra, Telæ medicatae et Cereoli et Glandes suppositoriae, Escharotica et Cathæretica, Suffumigationes.

His sub titulis, suo quæque ordine et numero, Formulae Medicamentorum variae dispositæ sunt; et huic divisioni præfixus præterea est Materiæ Medicæ, è Vegetan- tibus, Animalibus, Mineralibus desumptæ CATALOGUS.

Ac primùm in MATERIA MEDICA, singulorum characteri breviter è Botanicis, Zoologicis, aut Mineralogicis scriptis desumpto, quantum licuit, addidimus peculiares sinceritatis notas, ubicumque aliquis aut errori, aut fraudi posset esse locus.

In istâ quoque conficiendâ hujus operis parte, cùm internos ambigeretur nùm in hunc censum ea tantùm essent conscribenda, quæ usu quotidiano hodiè comprobata sunt, an potiùs plura etiam antiquitùs usurpata, quantumvis nunc aut neglecta, aut despecta, admitterentur; re attentiùs consideratâ, credidimus non parvi interesse ad utilitatem virorum nostrorum veterum scripta legentium, aut observata apud exteris vel et remotissimas gentes revolventium, si quæ in tantâ temporum locorumque varietate accepta fuerunt, cum nostris eodem in catalogo recensita intueri, et nominum compositâ diversitate interpretari liceret. Præterea hodiè quoque vidimus non pauca dudùm aut deserta, aut contempta, aut reformidata, atque ideo rariùs adhibita quasi cecidisse, nostris dennò temporibus in usum fuisse revocata; ut de *Lichene*, *Violâ tricolore* quibusdam *Jacea* dictâ, *Narciso*, sed præcipue de *Cicutâ*, *Arnicâ*, *Digitali*, *Aconito*, *Anemone pulsatillâ*, *Belladondâ*, *Strychno*, etc. satis notum est. Neque minùs interest numerum

et nomina nosse quorumdam, quæ uti succedanea in eorum locum quibus utimur, si quando deficiant, suffici valent. Neque ea quæ ad chymiam aut œconomiam tantum pertinent omnino silenda credidimus. Superfluitatem igitur maluimus quam inopiam.

In *Formulis* autem conscribendis eam nobis curam præcipue impositam esse credidimus, ut incertum nihil ambiguumve præ se ferret, aut Medicamentorum quæ natura ipsa suppeditat apparandorum ratio, aut ars ea consociendi quæ Pharmacopeorum industria enascuntur, aut methodus ea miscendi quæ in compositis non inconditè neque promiscue consociari debent.

Hæc inter præparata, alia sunt quæ in officinis præstò esse debent et **OFFICINALIA** dicuntur, alia quæ Medico præscribente ex tempore ut plurimum apparanda sunt, et dici solent **MAGISTRALIA**. Verum hæc ipsa, ut medicus pro indicationum ordine disposita plerumque enuntiat, non cùdem tamen lege à Pharmacopeo, sed pro elementorum quibus constare debent analogiæ consociari convenit, quorum scilicet compositio Chymicis subjacet necessariò legibus. Ideoque nonnulla magistralium exempla contulimus, non quæ medentum sagacitati, sed Pharmacopœorum solummodo diligentiae proponeremus, ut indè pateret quænam in similibus, pro re natâ, exequendis perficiendorum norma esset utilior. Hujus censûs ea sunt propè omnia, quæ inter solutiones aquosas recensuimus, plerasque mixturem præferentia varietates, ut vario quæque modo et ordine conscienda sunt.

Quod autem **OFFICINALIA** spectat, alia simplicia sunt, alia ex pluribus composita; quæ seorsim in singulis sectione-

num capitibus generatim seposuimus. *Composita* autem ca-
tantūm admisimus, quæ frequentiū apud Pharmacopœos
nominatim aut à medentibus ipsis, aut à vulgo quotidie
requiruntur. Quantumvis enim multa ex hoc medica-
mentorum Catalogo expungenda primo intuitu viderentur,
ut simplicioribus locum darent, nostri juris esse non cre-
didimus iis quasi interdicere, quæ adhucdūm in usu quo-
tidiano sunt, et ab ipsis artis antistitibus səpius requirun-
tur. Quaedam igitur, pauca tamen, servavimus; neque ea
temerè, pro arbitrio ut plurimū immutanda censūmus,
nisi in iis quæ ipsi Pharmacopœorum arti propria sunt;
etenim injustè factum certè videretur, si cuivis medicamen-
tum poscenti daretur aliud, quād quod ipse suscepisse
credat. Theriacam igitur et similia in officinis apud nos non
prostare quis sustineret, et si prostant, cur non esset san-
cītum quā lege debeant confici? Quantumvis igitur aliter
sentierint exterarum Pharmacopearum conditores, ser-
vanda adhucdūm nec temeranda credidimus ea, quæ tūm à
medicis, tūm à vulgo ipso səpius usurpari solent.

Verumtamē, dūm ista consuetudini concessimus, ut
faveremus quoque simplicitati, in maximē compositis no-
tavimus ea quæ præcipuam vim toti medicamento conci-
lliant; et ipsa hæc vel titulo inscripto, vel litterarum dif-
ferentiā, vel peculiari annotatione ità indicavimus, atque in-
super eorumdem rationem ad totam compōsiti mōlem sic
statuimus, ut è multiplicebus simplicia ejusdem virtutis fa-
cile, pro lubitu, erui possint. Sic in ipsis magni nominis
farraginibus seu Electuariis, ut Diascordio et Theriacā, tur-
bam simplicium ordinatam, et in summas, pro varietate vi-
rium, glomeratam ità digessimus, ut totius hāc methodo

quasi medica analysis haberetur. Et præterea in antiquissimâ omnium Theriacâ, Chymicam quoque elementorum analysim, D. *Guilbert* industriâ comparatam, addidimus. Illa etenim quæ apud antecessores laudis magnæ viros diu accepta sunt, et adhucdum à coætaneis plurimis utiliter usurpan-
tur, perspicere præstantius certè est, quâm despicere.

Præter hæc Composita, antiquitùs in Codicibus conscripta, neque in praxi obsoleta, paucissima quoque ab exteriis Pharmacopœorum Codicibus utilia mutuavimus. Nec non et alia, inter arcana quædam usitatoria, vulgo in officinis prostantia, quæ nunc aut nobis certò inno-
tiuere, aut analyseos ope sat plenè detecta sunt, juris pu-
blici facienda credidimus, ne temerè utentibus periculum
impenderet igneti aut incerti medicamenti. Hoc scilicet publicæ securitati dandum duximus. Neque certè cuiquam videbitur ingenuum hoc, aut conveniens Medicorum Phar-
macopœorum dignitati, si quis illorum, qui se saluti publicæ devotos profitentur, quædam arcana propria sibi servaret venditaretque, lucri causâ, turpis in autorem,
in commune bonum periculosi.

Cæterū, nisi necessitas, et usus, et consuetudo urge-
rent, rectius certè, paucis exceptis, compositorum plera-
que à Codicibus nostris exularent. Scilicet melius profecto
consuleretur et ægris et arti, si non aliis uteremur, quâm
quæ, apta loco, et constitutioni et conditioni ægrotantium,
singulatim et convenientius à medico, pro re natâ, con-
cinnarentur et præscriberentur.

Ea nos idcirco, præ ceteris, sollicitavit cura, ut *Sim-
plicia* quæ sub ipsis artis operibus enascuntur, pura pro-
mantur sinceraque, atque elementorum, quibus constant,

ratione non leviter perspectā. Indē enim et eorum ipsorum certior vis atque utilitas, et compositorum in quæ coalescunt conditio perfectior evadit. Talia certè, ob nova Chymicæ artis incrementa, hodiè à nobis maximè requirebantur. Indē factum est, ut, in exponendis modis operandi, incusationem simus veriti non tam prolixitatis, quam incuriae. Multa adeò sæpius experiendo ipsi tentavimus conficiusque, atque in his præcipue D. *Henry*, in magna nosocomiorum officinā, præstò fuit cura et solertia. Sic in Tincturis seu solutionibus aut Alcoolicis, aut Æthereis, non Alcoolis tantum densitatem ex areometro, sed solutæ materiæ rationem analysi comprobatam, sedulò indicavimus.

Ad id etiā multa nostris temporibus neotericorum inventa nos adduxere, ut quædam aut indigitaremus rursus neglecta diū atque prætervisa, aut antè conjuncta secereremus, quæ verè inter se differunt, et ea novis medentium tentaminibus objiceremus. Hoc autem imprimis præstitimus et in Opii extractis diversimodè paratis, et in Oxidorum Saliumque Metallicorum nonnullis varietatibus, præcipue Ferri, Hydrargyri, Stibii, Zincique, tanti medicis in rebus momenti, variaeque adeò, pro singulorum statu, efficaciæ. Titulos ideo, verae singulorum naturæ indices, præter nomina vulgaria, cuique præfiximus, et sæpius, ubi inter Chymicæ artis magistros non jam è de re discepatur, recentiorem nomenclaturam interseruimus.

EN igitur instrumenta artis; Artem vero ipsam nullatenus! Perversè enim de re nostrâ sentiunt, si qui vim Medi-

cinæ in novis perquirendis medicaminibus et formulis exarandis sitam esse credunt, neque artem satis increvisse putant, si quidquam in rerum naturâ intentatum inexpertumque reliquerint. Novimus equidem, certè non multos, scrutatores Naturæ sedulos, prudenter audaces, veritati potius studentes quam famæ, in experimentis periculosis difficilisque judicij, dum fausta, simulque infasta iniquo non pressa silentio, justâ lance perpenderent, medicam veris auxisse materiam divitiis, ipsasque venenorum insidias feliciter in salutis præsidia convertisse. Nostris tamen temporibus ista quorundam animis videtur itâ insedisse vesania, ut nihil apud ægros actum arbitrentur, nisi commotis magnâ medicamentorum vi corporibus, naturæ minimè auscultantes, sed aleatorie medicinæ piacula veluti miracula ostentantes; ausi deserere vestigia *Hippocratis, Aretæi, Celsi, Fernel, Baillou, Sydenham, Stahl, Torti, Baglivi, Boerhaave, Hoffmann, Huxham, Pringle, Swieten, Stoll, Bordeu, Lorry, Barthez, etc.*, tantorum tantæque doctrinæ virorum! *Dii meliora piis, erroremque istum nulli mortaliū!*

Nos verò meminerimus multò minus medicamentis artem scientiamque nostram inniti, quām medendi methodo ex ipsius naturæ studio comparatâ; neque novas securè et utiliter experiendo posse vias iniri, nisi perspectis servatisque *Œconomiae* legibus, quarum phænomena perpetuō intueri sapientium est, quibus obsistere, quæ spernere argumentum est aut superbiae juvenilis, aut turpis ignorantiae.
